UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni Praesertim Augustini, Et Thomae Aquinatis

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis Fundamentaliter discussa

De Sacramentis In Genere Et Specie - Libros Octo Complectens

Henricus, de Sancto Ignatio

Leodii, 1709

Caput 105. Argumentum nonagesimum quintum. Ex eo quòd eidem assertioni nostra, præter Doctores Sæculares, suffragentur quamplurimi Regulares spectatæ probitatis, & eruditionis, ex omni Ordine, etiam ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-73212

Visual Library

ſura temporis, ſed doloris ac diſpoſitionis pœnitentis. Ad quam explorandam ordinariè quidem opus eſt tempore, non in omnibus tamen eodem, ſed in nonnullis longiore, in aliis breviore. Et quemadmodùm ſunt, quibus neceſſaria non eſt quadrimeſtris probatio; ſunt etiam qui poſt annuam tales ſunt, quales erant in principio, vel etiam pejores.

1150 Nec quiſquam ad quatuor vel ſex menſes, vel ad annum ſic remittendus eſt, ut jubeatur non reverti ad confitendum ante elapſum terminum illum; quin ſalutaribus potiùs monitis & adminiculis juvandus eſt, & urgendus ut identidem ad Confeſſionem redeat, uſquedum obtinuerit abſolutionem. Prudentiſque Confeſſarii eſt ſic ipſum illicò non terrere, ut abſolutionem Communionemvè ſperare non poſſit niſi poſt quatuor vel ſex menſes; ſed abſque temporis deſignatione hortandus eſt ut ad eam ſedulò ſe diſponat, tantò citiùs abſolvendus, quantò citiùs ſe diſpoſitum probaverit.

1151 Secundum quoque dictum intolerabile Sorbona cenſuit, utpote veteri pariter Eccleſiæ injurioſum, quaſi divinæ alimoniæ deſiderium guſtumque abſtuliſſet, magnos peccatores ad menſes & annos à Communione ſegregando. Quod & hodiedum Epiſcopi practicant erga peccatores nonnullos, v. g. publicos uſurarios, concubinarios, &c. Ipſa potiùs eſt præcipitata, atque adeò indigna Communio, quæ guſtum illius aufert: *Hoc eſt enim indignè accipere, ſi eo tempore accipiat, quo debet pœnitentiam agere*, uti probat Cyprianus in tr. de lapſis.

1152 Tertium dictum Doctores illi cenſuerunt horrorem incutere, prorſuſque alienum eſſe à doctrina Eccleſiæ, uſuque ipſius, nedum antiquo, ſed & hodierno erga nonnullos peccatores, ut dictum eſt. Dictumque illud ſatis confutatum exiſtimarunt per ea quæ allegat pius doctuſque Jeſuita, Emericus de Bonis in tr. de Sacram. Altaris, ubi

1153 ſic: " Eſt qui poſtquam innumera crimina, & horrenda ſcelera Sacerdoti patefecerit, perendino, aut tertio die carne & ſanguine Chriſti refici non timeat. Quod ſanè non eſt permittendum. Quoniam qui habitum peccati contraxit, nonniſi magno niſu reſipiſcere, magnâque animi contentione excitare in ſe ſalutiferum peccatorum dolorem ſolet. Quemadmodùm arbor annoſa, non unico ictu dejicitur; nec vas aliquo tetro liquore imbutum, ſi ſemel frigidè abluitur, odorem amittit, ſed opus eſt ut diù in cinere & lixivio ferveſcat. Eâdem quoque agendi ratione erga illos homines utendum eſt, qui tam ſæpè ad ſua peccata recurrunt. Subeant, poſt expoſita expanſaque flagitia, pœnarum & laborum genera, quibus ſentiant, doleant & deteſtentur præteritas culpas. Quod quia ab illis non exigitur, citò ſuum vomitum reſorbent.

1154 " Multi pii prudenteſque teſtantur, innumeros homines, qui peccatis priùs obſtricti erant, quòd eam rationem tenuiſſent, dilatâque abſolutione ſæpiùs ad tribunal, ut animi ſui ſtatum identidem aperirent, illis redire juſſiſſent, impoſitâ interim delictorum pœnâ, priſtinos mores in melius mutaviſſe, & magno gaudio, magnoque deinceps in virtute progreſſu infandam peccandi conſuetudinem abjeciſſe.

1155 " Durum equidem & grave primò ipſis videbatur, toties ſine abſolutione, & piacularibus pœnis oneratos remitti: verùm multi poſteà ſeveritatis illius fructum & utilitatem experti, gaudentes, & ut de ſe optimè meritis gratulantes rediêre, futurum fatentes fuiſſe, niſi ejuſmodi auſteritate eſſent cohibiti, laudabiliorem vitam ut nunquam inſtituerent. Magno dolore procul dubio, dum Chirurgus humorem pungit, ægrotus afficitur; ſed ſanatus gratias agit, mercedemque pro beneficio rependit. "

Si Confeſſarii majorem ſeveritatem adhiberent, multò major frequentiorque pravorum hominum emendatio conſequeretur; non iiſdem ſemper criminibus obnoxios homines cerneremus, neque ſubinde, ut faciunt, Confeſſarios mutarent, ut aliquem tandem invenirent mollem, facilemque, qui leves imponat pœnas, qui ſinat ipſos, quoties libuerit, etiam moribus immutatis, ad Euchariſticam menſam accedere; quem deinde inventum, tamquam peritiſſimum prædicant. Cæteros, qui perverſorum morum inſtitutorumque mutationem exigunt, tamquam incommodos, ſcrupuloſos, " rigoriſtas, " humanæque fragilitati nimiùm duros reprobant. " 1156

Sed miſeri illi animarum Rectores non cernunt, pravos homines in vitiis ſuis propterea ſuâ indulgentiâ detineri, atque in priſtina peccata relabi. Medicus qui, ne moleſtus ſit ægroto, vulnus gangrenâ vitiari ſinit (quod, ſi validum unguentum, ignem etiam aut ſcalpellum maturè adhibuiſſet, ſanari potuerat) non miſericors, ſed crudelis haberi debet. Idipſum tam multis peccatorum reis ob nimiam Confeſſariorum lenitatem & indulgentiam accidit. Offeret ſeſe aliquis, cujus ad expiandas noxas multis diebus jejunia & cilicia eſſent imponenda (etiam ante abſolutionem, ad impetrandam converſionis gratiam peragenda) " huic ſemel Roſarii preces, " poſt abſolutionem perſolvendæ, " aut ſeptem Pœnitentiæ Pſalmi recitandi imponentur. Et quoniam illæ pœnæ non ſunt moleſtæ, fit ut illi citò ſuis ſe rurſus criminibus inquinent, " & Confeſſarii illi alienorum criminum (teſte Tridentino ſeſſ. 14. c. 8.) participes efficiantur. " Quòd ſi illi ipſi Confeſſarii rationem Deo de illis hominibus ſibi reddendam eſſe, etiam atque etiam apud ſe cogitarent, multò impenſiùs ſibi cauturos eſſe exiſtimo. " Terribile namque eſt, incidere in manus Dei viventis, rationem exacturi de tot animabus nimiâ iſtâ mollitie perditis. 1157

Teſtimonium illud Emerici de Bonis proliziùs 1158 exhibui, quàm à laudatis Doctoribus allegatum fuit. Qui deinde rationem refellunt, quâ Author propoſitionis 26. ſuum illud dictum colorare nititur, *ne pœnitentes* (inquit) *majori deſtituantur præſidio infirmitatis ſuæ.* " Tametſi ratio iſta probabilis eſſet, ſi per infirmitatem, peccatum non intelligeretur mortale, nec affectus ad peccatum (conveniunt quippe Doctores abſolutionem, Communionemque notabili tempore non differendam iis quos Confeſſarius prudenter judicat affectum non habere ampliùs ad peccatum, ſed verè ex toto corde contritos eſſe.) Sed de talibus non agit propoſitio; imò de iis potiùs qui ob inveteratam infamis peccati conſuetudinem, violentiam ipſius brevi illo decem vel quindecim dierum ſpatio ordinariè excutere non poſſunt. Tales proinde cenſendi ſunt initium quidem habere bonæ voluntatis, ſed nondum voluntatem integram & plenam, nondum proinde ſatis validam & fortem, ad perrumpendam ſuperandamque pravæ illius conſuetudinis violentiam. " Hactenùs ſapientiſſimi illi Doctores,

CAPUT CV.

Argumentum nonageſimum quintum.

Ex eo quòd eidem aſſertioni noſtræ, præter Doctores Sæculares, ſuffragentur quamplurimi Regulares ſpectatæ probitatis, & eruditionis, ex omni Ordine, etiam Societatis Jeſu.

Enim-

1159 ENimverò ei ſuffragantur ex Ordine noſtro Stephanus à S. Franciſco Xaverio, Turoniæ Provincialis, doctrinâ, pietate, vitæque Monaſticæ zelo eximius, in Exhortationibus Monaſticis ſuper Reg. Carm. Exhortat. 62. Daniel à Virgine Maria, Provincialis Belgicæ, in Procemio Inſtructionis ad Chriſtianam pœnitentiam, Raymundus Lumbier, Aragoniæ ſemel & iterùm Provincialis, Regius Concionator, ſupremæ Inquiſitionis Qualificator, in Univerſitate Cæſaraugustana S. Theologiæ Doctor & Anteceſſor primarius, pro Archiepiſcopatuque Cæſarauguſtano Examinator Synodalis, eruditione clarus, in Theologicis Obſervationibus ſuis circa propoſitiones ab Alexandro VII. & Innocentio XI. damnatas obſervat. 15. §. 7. Antonius à Porta, vir celeberrimus, in eruditiſſimo Opere, cui titulus: *Les conduites de la grace ſur la converſion des ames pechereſſes*, p. 1. verit. 8. diſcurſu 1. 2. & 3. Franciſcus à Puero Jeſu in Inſtructione ad ritè ſuſcipiend. Pœnit. Sacram. c. 32. 33. 34. & 35. Et ex parte Andræas à Matre Dei, Carmelitarum noſtrorum Diſcalceatorum Definitor Generalis, Theol. Mor. to. 4. de Relig. tr. 17. de voto & juram. n. 167. & 170.

1160 Deinde ex Carthuſianis Florentius Harlemienſis, Prior Carthuſiæ Lovanienſis, in via vitæ p. 2. c. 21. Antuerpiæ edita anno 1542.

1161 Ex Ordine Præmonſtratenſi Havermans in Examine libelli, cui titulus: *Pentalogus Diaphoricus*, &c. Florentius de Cocq in Princip. Theol. to. 3. c. 7. ſect. 7. Petrus van Ginderdeuren in Concluſionibus Theol. de Pœnit. concluſ. 38. & 39.

1162 Ex Ordine Prædicatorum, præter Albertum Magnum, & S. Thomam, Petrus Soto in additione ad 5. p. Methodi Confeſſ. de Pœnit. Ludovicus Granatenſis (à S. Franciſco Saleſio tantoperè commendatus) to. 2. concion. de temp. conc. 2. Ludovicus Lopez 1. p. Inſtruct. c. 25. col. antepenult. Barthol. Medina l. 1. Sum. c. 14. §. 2. & 4. Prado c. 32. q. 8. n. 22. Contenſon to. 9. diſſert. un. c. 2. ſpecul. 3. Cornelius Miellet, & Michaël Roupin in Theſibus anno 1683. coram Reverendiſſimis Epiſcopis Tornacenſi & Atrebatenſi defenſis. Natalis Alexander Th. Dogm. & Mor. to. 4. c. 6. a. 6. reg. 4. Et c. 7. a. 3. reg. 11.

1163 Ex Seraphico Ordine S. Franciſci Nicolaus Divionenſis, Capucinorum Lugdunenſium Exprovincialis, in ſuo Pharaone reprobato conc. 17. Hubertus Maſſart in libello Gallico, cujus inſcriptio eſt, *Remontrance charitable*, anno 1676. typis dato, cum approbatione RR. PP. d'Aſtroy, & Jacobi, magnaque ex parte Simon Bourguinonus in ſua *Praxi Media*, &c. à reſolutione 4. & deinceps, & apud ipſum Petrus Marchantius. Dionyſius Werlenſis in ſuo *Pſeudo-pœnitente converſo* cap. 1.

1164 Ex Ordine S. Auguſtini Chriſtianus Lupus variis in locis, ſpecialiter in approbatione libri Antonii Le Felon, quem inſcripſit, *Converſio peccatoris.* Franciſcus Farvacques in Theſi cui præſedit 4. Novembris 1688. Antonius Parys in Theſi quam pro adipiſcendo Licentiæ gradu defendit 4. Julii 1683. Leonardus Van-Roy Th. Mor. p. 4. tr. 1. de Sacram. Pœnit. c. 5. q. 2.

1165 Ex Societate Jeſu S. Franciſcus Xaverius argum. 83. laudatus, Bellarminus conc. 8. & 9. in Dom. 4. Advent. Caniſius l. 1. de corrup. verb. Dei c. 11. Franciſcus Ribera in cap. 2. Joël. ad v. 18. Cornelius à Lapide in c. 2. Oſee ad v. 14. junctis iis quæ habet in cap. 3. Malach. ad v. 3. & in cap. 2. epiſt. Jacobi ad v. 13. Joannes Maldonatus to. 2. de pœnit. c. 2. & 3. Emericus de Bonis in tr. de Sacr. Alt. Julius Cæſar Recupitus tr. 2. de numero prædeſt. & reprob. c. 6. Azorius 1. p. Inſtit. Mor. l. 11. c. 3. Paulus Segneri, Theologus Pontificius in Inſtruct. Confeſſ. c. 4. & in Inſtruct. pœnit. Claudius la Colombiere, Religioſus exemplaris probitatis, & non mediocris eruditionis in doctrina Sanctorum, to. 3. concionum conc. 63. faventque Leſſius in Reſol. verbo *Confeſſ.* caſu 7. Layman Th. Mor. l. 5. tr. 6. c. 4. Tannerus to. 4. q. 9. diſp. 6. n. 112. 119. &c. Henriquez l. 4. c. 18. & 29. Et l. 5. c. 8. Antonius Terillus in Reg. Mor. q. 72. n. 24. ubi dicit, quòd *qui in continuis quodammodò peccatis & relapſibus vitam tranſigunt, frequentiſſimè verum eſt, eorum dolorem non eſſe ſufficientem.*

Pro Carmelitis noſtris non abs re erit ipſis ex- 1166
hibere verba nonnullorum quos ex Ordine noſtro protulimus. Itaque noſter Stephanus à S. Franciſco Xaverio, ubi ſuprà, vel ipſos Religioſos confitentes gallico idiomate ſic alloquitur: "Votre contrition doit être efficace, c'eſt à dire qu'elle doit enfermer une reſolution forte & determinée de mourir plûtôt, que de tomber dans les mêmes fautes. Il eſt fort à craindre, que cette douleur ne nous manque dans pluſieurs de nos Confeſſions. Les pechez mortels ſont ſi horribles" (loquitur animabus timoratis) "qu'ils attirent eux-mêmes, par leur laideur, & par leurs mauvais effets, cette eſpece de contrition. Mais les pechez veniels étant plus legers, & ne nous paroiſſant pas ſi épouvantables, ne nous impriment pas ſi facilement cette douleur. Et nos continuelles rechûtes dans les mêmes offenſes, dont nous nous accuſons toûjours, nous font un témoignage aſſez probable, pour ne pas dire tout-à-fait certain, que nous n'avons pas cette diſpoſition interieure, quand nous nous confeſſons."

"Jugeons, Meſſieurs, des affaires de notre 1167
conſcience, comme des affaires temporelles: mais n'eſt-il pas vrai que quand nous formons un deſſein abſolu de faire une choſe, qui eſt en notre pouvoir, nous la faiſons, & que ſi un homme nous avoit dit ſouvent qu'il voudroit faire une choſe, & qu'il ne la fiſt point, il paſſeroit dans les eſprits pour un menteur, ou pour n'être pas raiſonnable? Que dirons-nous d'un Religieux, qui ſe confeſſe deux ou trois fois la ſemaine, & toûjours des mêmes fautes? Qu'en pouvons-nous dire, ſinon que ſa contrition eſt fauſſe, que ſa penitence eſt vaine, qu'elle eſt illuſoire, qu'elle n'eſt qu'apparente?" Si ſic ipſe cenſuit de pœnitentia venialium, quantò magis de ſimili pœnitentia mortalium?) "Je m'accuſe, dit-il, d'avoir rompu le ſilence, de n'avoir pas aſſiſté à quelques heures de l'Office, d'avoir manqué à mon oraiſon, de ne m'être pas retiré en notre cellule, d'avoir cenſuré interieurement la conduite de mes Superieurs, & d'en avoir murmuré exterieurement, d'avoir repliqué quand ils m'ont commandé quelque choſe, & de n'avoir obéi qu'avec chagrin, d'avoir mal parlé de mon prochain, d'avoir agi par humeur, & par inclination, plûtôt que par des motifs ſurnaturels, de n'avoir pas eu de fidelité d'offrir mes actions à Dieu. Mais, mon Pere, vous accuſez-vous ſouvent de toutes ces fautes? Il répond qu'il s'en accuſe ordinairement en toutes ſes confeſſions. Mais vous en accuſez-vous toûjours avec douleur? Vous en accuſez-vous toûjours avec une ferme reſolution de ne les plus commettre? Oüi. Je n'en crois rien: ſi vous en aviez une veritable contrition, vous n'y retomberiez pas ſi également.

Il en eſt de la contrition, comme de la foi. 1168
Il la faut montrer par ſes œuvres. Vous avez la voix de Jacob; mais vous n'en avez pas les mains; vous n'en avez pas auſſi le cœur. Votre penitence, pour parler avec S. Chryſoſtome,

„ n'eſt qu'une penitence de Theatre ; un Acteur
„ qui fait le Roi, qui porte la pourpre, le ſcep-
„ tre, & la couronne. Mais quoi qu'il ait ces ap-
„ parences de la dignité royale, il n'en a pas la
„ verité. Ainſi, quoi que vous parliez comme
„ font les penitens, vous n'avez pas neanmoins
„ la verité de la penitence. Votre cœur n'eſt point
„ touché : votre cœur n'eſt point changé : votre
„ cœur n'eſt point converti. Vous faites l'Acteur:
„ vous repreſentez ce que vous n'êtes pas.

1169 „ Je ſçai bien, Meſſieurs, que nous recou-
„ rons à nos foibleſſes : nous rejettons nos fautes
„ ſur l'occaſion, & ſur la tentation. Nous di-
„ ſons que nous avons une bonne volonté de nous
„ corriger, dans le temps que nous nous confeſ-
„ ſons : mais qu'aprés nous ſommes emportez
„ par les differens objets, qui ſe preſentent à nous.
„ Mais eſt-ce là une excuſe, qui nous puiſſe dé-
„ fendre? Ah ! ſi nous avions une forte reſolu-
„ tion de ne pas retomber dans nos pechez,
„ nous prendrions d'autres précautions, pour
„ nous ſoûtenir. Nous n'avons pas cette incon-
„ ſtance pour les choſes de la terre. Nous ne l'a-
„ vons que pour les interêts de notre ſalut. Mais
„ qu'arrivera t-il de ces confeſſions ? Je ne veux
„ pas trop penetrer en ce qui ſe paſſe dans votre
„ interieur : j'en laiſſe à Dieu le jugement. Je
„ vous prie neanmoins de me permettre de vous
„ dire, que j'en crains beaucoup les effets. Je
„ crains pour pluſieurs Religieux, qui ſont toû-
„ jours les mêmes, que leurs confeſſions ne
„ ſoient des ſacrileges, & qu'en confeſſant des
„ pechez veniels, ils ne commettent des pechez
„ mortels. Je crains qu'ils n'apportent à ce tribu-
„ nal, non ſeulement des volontez flottantes, &
„ comme indifferentes & inſenſibles à leurs
„ maux, mais même des volontez attachées à
„ leurs deſordres, & à toutes les occaſions qui
„ les entretiennent : & ainſi que quand le Prê-
„ tre viſible leur dit, *je vous abſous* ; le Prêtre
„ inviſible ne leur diſe, *je vous condamne.* Je
„ crains que Jeſus Chriſt ne deſavoüe ſon Lieu-
„ tenant. Je crains que le Maître ne porte une
„ ſentence contraire à celle de ſon ſerviteur.

1170 Noſtri verò Danielis à Virgine Maria hæc ſunt
verba : " Quis credere poterit verè te ſuper pec-
„ catis tuis conteri, eorum te pœnitere, eis te
„ ex corde toto renuntiare, ea cavendi firmum
„ te habere propoſitum, te malle amittere om-
„ nia bona, & honorem, & omnes pœnas ſuſti-
„ nere (quod totum ſimul requirit vera contri-
„ tio) quàm ad ea reverti ; & quòd brevi ea rei-
„ teres ? Hoccine eſt verè conteri ? Profectò non
„ arbitror. Quis enim te dicet cujuſpiam pœni-
„ tere, quod illicò poſt iterùm perpetras? No-
„ lim tamen negare, aliquem verâ, & eâ quâ
„ oportet contritione, ſua peccata confeſſum,
„ fragilitate humanâ iterùm in eadem poſſe rela-
„ bi. At dico, dum quis ſæpè, ac fermè ſemper
„ de iiſdem ſe accuſans, illicò poſt iterùm ad ea
„ revertitur, id eſſe admodùm veriſimile ſignum,
„ non veram ac debitam, cum firmo emenda-
„ tionis propoſito, ejus fuiſſe contritionem.....
„ Sanguineis lachrymis deplorandum eſt, id eſſe
„ multis Chriſtianis commune malum, qui, con-
„ feſſione factâ, brevi iterùm ad eundem vivendi
„ morem redeunt, ut canis reverſus ad vomitum
„ ſuum, & ſus lota in volutabro luti. Fit iſtud,
„ quia non verè eos peccatorum ſuorum pœnitet,
„ aut non firmiter ea emendare proponunt.....
„ Ore peccata ſua accuſant..... ſed non corde.
„ Non enim ex corde eis renuntiant, aut non
„ verè & debitè (id eſt ex toto corde) ea propo-
„ nunt cavere.

1171 Similiter loquitur Franciſcus à Puero Jeſu,
meus quondam in ſpiritualibus Magiſter, dum
Philoſophiæ ſtuderem in Carmelo noſtro Ganda-
venſi : " Exprimi (inquit) non poſſunt abuſus,
cæcitates & ſacrilegia, quæ hâc tempeſtate in "
Sacramento Pœnitentiæ committuntur. Eò ven- "
tum eſt, utplurimi comperiantur, qui ſatis eſſe "
arbitrantur, peccata ſua confiteri, non emen- "
dando vitam ſuam, neque peccata verè & ſeriò "
deſerendo, aut pœnitentiam agendo, fallentes "
ſeipſos, credenteſque quòd per ejuſmodi Con- "
feſſiones à Deo peccatorum ſuorum remiſſio- "
nem conſequantur. Diſcurrunt à Confeſſario "
ad Confeſſarium, quærentes alicubi quempiam, "
qui ne verbum quidem profert, quique exiguam "
imponit pœnitentiam. Si in Confeſſarium inci- "
dant, qui veritatem ipſis edicit, rectamque & "
medicinalem pœnitentiam imponit, illum am- "
pliùs non accedent. Sed animum hîc advertite : "
è quo ſpiritu & fundo id proficiſcitur? Quæ eſt "
ratio? Alia præter hanc nulla, quia latente af- "
fectu quodam adhuc manent affixi peccatis ſuis, "
nec ipſorum converſio è meditullio cordis pro- "
venit, nec ipſos verè pœnitet, nec abſolutum "
firmumque propoſitum habent vitam reverà mu- "
tandi, deſerendique peccata ſua. Talium " (in-
quit c. 34.)" abſolutio nullius eſt valoris. Et qui
hunc in modum agit, ſacrilegium committit. "
Pœnitentes (ait c. 32.) in mortale lapſi, de- "
bent tempus vacuum & opportunum otium ſi- "
bi comparare, illudque impendere, ut ſe ad "
Confeſſionem ritè præparent, ut verum dolo- "
rem in ſe eliciant, & ſeriò ſe accingant orationi. "
Alioquin nunquam obtinebunt neceſſariam ad "
confitendum diſpoſitionem.. "

Et rurſus cap. 34. " Non ſolùm ſacrilegium 1172
committit Confeſſarius, qui peccatori impara- "
to abſolutionem impendit. ... ſed & præterea in "
dolum adducit animas inſciorum hominum, "
qui, proh dolor! ſatis eſſe autumant peccata "
confiteri, & percipere abſolutionem. Verùm, "
inquies, meliora ſperant, & perſuaſum habent, "
illos jam ritè diſpoſitos eſſe. " Reſpondetur,
quòd Confeſſarium oporteat eſſe virum ſapien-
tem, prudentem & peritum, gnarum proinde,
quòd " dum peccator in malo radices egit, dum
frequenter in peccata relabitur, &c. conſequen- "
ter verum non habeat dolorem, nec firmum "
propoſitum à peccatis ſe continendi. Et quam- "
vis (ut ſuprà) fieri poſſit, ut peccator poſt ſe- "
riam pœnitentiam relabatur ; dum equidem re- "
labitur, præſumptio eſt contra ipſum. Eſto e- "
tiam Confeſſarius non careat ratione ſecùs ſpe- "
randi ; attamen in dubio minimè licet S. Sa- "
cramentum periculo nullitatis & profanationis "
exponere. "

In benè diſcernenda interna pœnitentium diſ- 1173
poſitione, " omnis difficultas poſita eſt. Eſtque
res iſta tanti momenti (teſte S. Carolo Borro- "
mæo) ut à ritè adminiſtrando Pœnitentiæ Sa- "
cramento dependeat inordinationum & abu- "
ſuum omnium exterminatio, ſcelerum emen- "
da, ſanctæ Eccleſiæ bonum, omnium denique "
animarum ſalus. Atque à defectu illius origi- "
nem ducunt omnia peccata ; & propterea inor- "
dinationum, abuſuum, & peccatorum omnium, "
quæ in Chriſtianiſmo perpetrantur, non medio- "
crem cauſam, ſaltem ex parte, præbent Con- "
feſſarii, quòd officio ſuo, ut oportet, non fun- "
gantur. "

Eòque (quod ſanguineis lachrymis deploran- 1174
dum eſt) jam deventum eſt (inquit c. 35.) quòd
pœnitentes " videantur velle ex Sacramento Pœ-
nitentiæ facere duntaxat Sacramentum Con- "
feſſionis. Unuſquiſque enim confiteri quidem "
deſiderat, ſed pars maxima renuit veram agere "
pœnitentiam, & peccata ſua piis ſatisfactionum "
operibus delere : quod arguit illorum converſio- "

nem

„ nem, doloremque non eſſe ſincera. Etenim ſi interna illorum pœnitentia foret vera.... fieri non poſſet, quin pœnitentia interna externè prorumperet in opera; quemadmodùm fieri nequit, ut arboris radix vivida ſit, & tempore ſuo nec fructus, nec folia proferat. Hinc colligendum, quòd languor, quem hodie videre eſt in parte longè maxima Chriſtianorum, ne verbum quidem correptionis, nec aſperitatem ullam pro enormibus peccatis ſuis ſuſtinentium, non derivetur è naturali corporis ægritudine, verùm è deficiente ſpiritu pœnitentiæ..... Et quia affectu ſuis adhuc peccatis latenter alligantur, & adhæreſcunt, eapropter ſemper recidunt, eademque (abſque ſincera illorum renuntiatione, & emenda) confitentur peccata. Sicque in peccatis ſuis ſemper perſeverant, contrahenteſque inveteratam mali conſuetudinem, ſanari nequeunt.

1175 Hinc Confeſſarii plerique, languorem iſtum conſiderantes, veriti ne congruam pœnitentiam non explerent," blandulè illos habent, exiguamque „ pœnitentiam injungunt, rati melius eſſe illos exigua cum pœnitentia ad purgatorium mittere, quàm cum magna (quam adimpleturi non eſſent) ad infernum. Atque eo pacto videmus, quòd hujuſmodi peccatores in ſua hæreſcant peccandi libertate, vitæque diſſolutione. Obdureſcunt itaque, & impudentiores evadunt, quàm Gentiles. Eſt proinde quòd hujuſmodi Confeſſarii ſibi caveant, ne alienorum (uti monet Tridentinum) peccatorum participes efficiantur.

1176 „ Quàm frequentes numerare eſt Confeſſarios, quorum iſta eſt in extremis vitæ querela, dum conſcientiæ remorſu & angore torquentur, ſupremo Judici omnium, quas audierunt, confeſſionum jam jam reddituri ſunt rationem; ideòque pertimeſcunt ſe ob aliena damnandos peccata, quorum coram Deo fortaſsè participes facti ſunt. Quippe confeſſiones excipere, Deique vices in dijudicandis inſcrutabilibus hominum conſcientiis agere, res eſt formidine & periculo plena. Hoc eſt quod non paucos haud modicæ eruditionis, bonæque conſcientiæ viros ab excipiendis deterret confeſſionibus, ob magnum artis illius periculum. Nam quia pars maxima venientium ad confeſſionem ritè non ſunt diſpoſiti, ob defectum contritionis, firmique propoſiti emendationis, idcircò metuunt, ne indiſpoſitos abſolvant. " Hactenùs Religioſus ille piiſſimus, virtuteque, zelo, atque exemplari vitâ clariſſimus.

CAPUT CVI.

Argumentum nonageſimum ſextum.

Ex eo quòd eandem aſſertionem noſtram tradant illuſtriores Concionatores, Aſceticique Scriptores omnes, vel ferè omnes.

1177 MAgnum veritatis argumentum eſt communis Sapientum conſenſio; ſiquidem *communis conſenſio videtur mihi naturæ vox*, ait Philoſophus 1. Topic. *Quodque omnes, aut quamplures ſentiunt, id falſum eſſe non eſt putandum.* Idem in lib. de divin. per ſomnia. Denique *quod apud multos unum invenitur, non eſt erratum, ſed traditum.* Tertullianus lib. de præſcript. c. 28. Communis igitur conſenſus illuſtriorum verbi Dei Præconum, Scriptorumque Aſceticorum cum tot ſapientiſſimis Theologis ſuprà laudatis, cumque Sanctis paſſim omnibus, antiquis & noviſſimis, quorum etiam in ſuperioribus teſtimonia exhibita ſunt, magnum profectò eſt aſſertæ veritatis argumentum.

1178 Illuſtriores porrò Concionatores paſſim omnes aſſertioni noſtræ conſentire pronum eſſet demonſtrare, verbatim adductis eorum teſtimoniis, pro aſſertione noſtra expreſſiſſimis. Sed quia hoc nimis prolixum foret, deſignare ſufficiet loca, in quibus ea facilè quiſque reperiet. Videri ergo poſſunt Franciſcus Labata in Magno ſuo Concion. Apparatu to. 2. verbo *recidivatio.* Antonius Caignet, S. Theol. Doctor, in Anno ſuo Paſtorali p. 2. conc. in Domin. 3. Quadrag. Joannes le Jeune, corpore cæcus, ſed mente illuminatiſſimus, Miſſionarius verè Apoſtolicus, in adminiſtrando Pœnitentiæ Sacramento exercitatiſſimus (qui innumeras Deo lucrifecit animas) in ſuo Oratorii Miſſionario, ſeu Concionibus in Adventum & Quadrageſ. p. 1. in præliminaribus monitis ad Curatos juniores. Et ibidem conc. 10. Jacobus Biroat, S. Theol. Doctor, Conſiliarius & Concionator Regius, Ordinis Cluniacenſis, to. 1. Concion. in Quadrag. conc. in fer. 2. poſt Domin. 3. Quadrag. Nicolaus Divionenſis in ſuo Pharaone reprobato conc. 17. Claudius de la Colombiere to. 3. conc. 63. Volpiliere, S. Theol. Doctor, to. 1. conc. 19. Et paſſim alii.

Scriptores quoque Aſceticos eidem aſſertioni noſtræ calculum ſuum paſſim adjicere, conſtat ex Thoma Cantipratano, & Ludovico Granatenſi proximè referendis, Florentio Harlemienſi, Carthuſiano, in l. inſcripto, *Via vitæ*, ſive *Liber ſpiritualis, inſtruens quomodò Chriſtianus*, &c. Paulo Zehentner in promontorio malæ ſpei §. 1. Authore libri, *Diſcours de pieté*, ſerm. 17. in Octav. Corp. Chriſti, Platelio in libello, cui titulus, *Revûe de l'homme interieur*, c. 5. §. 6. Hayneufe, Noüet, Craſſet, le Maître, &c. in ſuis Meditationibus, dum de recidivis agunt. Infinitos alios omitto. 1179

CAPUT CVII.

Argumentum nonageſimum ſeptimum.

Specialiter ex Cantipratano, & Ludovico Granatenſi.

THomas Cantiprat., Epiſcopi Camerac. Suffraganeus, l. 2. de Apibus c. 30. §. 9. ſuo exemplo declarat, Confeſſarios difficiles eſſe debere in abſolutione conſuetudinariis impartienda. Refert namque peccatorem ad ſe cum Paſtore ſuo veniſſe, ut à peccatis abſolveretur, maximè à peccato mollitiei, quâ ſe fœdè polluere ſolitus erat. Sed quòd difficulter adduci potuerit, ad ipſum abſolutione donandum: eò quòd aliàs à ſimilibus pollutionibus ipſum non ſemel abſolviſſet, impoſitâ pœnitentiâ ſalutari; & nihilominùs recidiſſet. Quòd tamen victus importunis precibus Paſtoris, ipſum abſolverit, hâc conditione, acceptatâ à peccatore, quòd ſi rurſum relaberetur, divina ipſum juſtitia mox puniret. Sic abſolutus, ſtatim ad vomitum rediit; ſed divinæ juſtitiæ illicò vindictam ſenſit, auditus ingeminaſſe, *vindicta Dei ſuper me, vindicta Dei ſuper me.* Quibus in verbis, infelicem animam in manus dæmonis exſpuit. *Quem* (inquit) *cùm ad Diœceſanum Epiſcopum mittere vellem, quaſi graviùs affligendum, à Sacerdote rogatus ſum, ut tali conditione abſolverem pœnitentem, ut flexis genibus coram nobis rogaret Dominum, ut ſi poſtmodùm recidivaret in ſcelere, eum mox vindicta divina puniret. Conſenſi ego conditioni; & heu mihi miſero quòd conſenſi! Mox ille flexit genua, vindictam in ſe recidivantem precatus eſt. Abſolvi eum* (audiſtis quàm difficulter) *receſſit gaudens. Sed feriâ 3. poſt ſanctum Paſcha, inſtigante diabolo paſſus eſt recidivam; moxque horrificè clamans, vindicta Dei ſuper me, vindicta Dei ſuper me* (*ut mihi poſteà Sacerdos retulit*) *amariſſimâ morte mulctatus eſt.* 1180